

Bibliothèque numérique

medic@

**Belleteste, Jean-Jacques - candidat /
Bourdeline, Louis-Claude - président. -
An Hypochondriaci morbi remedium
Equitatio.**

1737.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°71***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0071](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0071)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimo
Decembris, anni M. DCC. XXXVII.

M. LUDOVICO-CLAUDIO BOURDELIN,
Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore
Medico & Facultatis Decano, Præsidente.

An Hypochondriaci morbi remedium Equitatio.

I.



AFFECTIO Hypochondriaca, græcis ὑποχονδριακὸν πάθος, ἢ
quæstio nuncupata, Morbus est, ut mirabilis varietate symptoma-
tum, sic eorumdem pertinaci diuturnitate infamis. Hunc, multiformi
mutabilitate, Proteum, repullulandi facilitate, Hydram, malo-
rum, quæ exhalat, multitudine, Pandora Pyxidem verè dixeris.
A mente ad corpus, à corpore ad mentem, pari, miserâque proclivi-
tate traducitur. Nec solos invadit eos qui ventri serviunt, sed sobrios etiam.
Rarò in stolidos, sæpius in ingeniosos sævit. Quò scilicet quis est in studiis

A

occupatior, quò altorum meditationum capacior, eò & pronior est in hunc morbum. Quas utinam miseras, ut æquiori jure, sic litterarum publicæque rei minore damno, otiosus tantum & hebes quilibet pateretur! Huic malo, ansam remotamque causam, præbuerunt non semel, immoderata Lætitia, Mœstitia supra fidem urgens, Venus immodica, longi Diætæ errores, violentiora, diutiùsque protracta Exercitia, verbo dicam, ferè quidquid in rebus non-naturalibus nimium est. Affectum Hypochondriacum crucem ægri, Medici tormentum, Artis nonnunquam opprobrium, à veterum Melancholiâ gradu tantum diversum, causis verò, symptomatis, & curatione, cum Melancholiâ prorsus eundem, describeris potius quam definieris; tam multiplicibus se prodit, signis, dicam, an morbis? Quorum ferè omnium larvam induit, gerit personam. Pueros nunquam, rarò adolescentes, adultos, constantisque, aut provectæ etiam ætatis homines sæpius aggreditur, si præsertim morbum invitaverit, nigro, hirsuto, sicco gracilique corpori inditum à naturâ, acre penetransque ingenium. In primis initiis levior est, nec medelæ omnino expers; diuturnitate ingravescit sitque refractarius, vetustate aliquando lethalis evadit, Apoplexiâ tunc, Paralyfi, Epilepsiâ, Maniâ, aliisque pessimi moris, & ferè immedicabilibus, morbis solitus terminari. Quæ partes morbo tentantur sunt præsertim Abdominis viscera, Præcordia, & cum suis involueris Cerebrum: licet, nec extremis quidem corporis partibus, hac peste omnino vacare fas sit. Stomachum nunc male habet Cardialgia, nunc vellicat succutitque crebra, austera, falsa, acrisque pituitæ vomitio. Modò eundem rugitus vexant, modò tendunt flatus. Hypochondrium utrumque, frequentius tamen sinistrum, molestam patitur distensionem; sub ventriculo immanis pulsatio persentitur. Eadem loca vexat identidem, nec unus, nec fixus, sed multiplex & vagus, lancinansque dolor. Spasmo interim contractum intestinorum canalem percurrunt, non sine Borborygmis & murmure, crebri flatus, & ad convulsas usque fauces ascendens, easque strangulans, hysteris tamen mulieribus, quàm viris hypochondriacis familiarior, Globus. Est ubi relictis infimi ventris visceribus, aut iis etiam intactis, Thoracis arcem causa morbi impetat, paribus, sinon dirioribus malis, in ægrum desævitur. Quæ si respirationi famulantes musculos, Pulmonisque Parenchyma occupet, constrictionis angustiaque in his partibus sensum infert, respirationem facit difficilem, & levissimum ad motum laboriosam: Nonnunquam & verum Asthma exprimit. Si, Thoracem intus investientes, membranas obfideat, ipsis, Mediastinoque præsertim, dolorem mordacissimum, nunc eidem loco pertinaciter hærentem, nunc ad scapulas usque protensum imprimit. Si in Cor, fontem fontemque vitæ lues sese insinuaverit, Tremorem, Palpitationem, Oppressionem insignem, Spirituum deliquia, Lipothymiamque secum importat, Syncopi, brevissimo, & omnium maxime præcipiti ad mortem, morbo adeo similem, ut ea correptus æger, ultimum sibi adesse diem certo certius existimet. Quid si capitis arcem animæque sedem invaserit hostis infensissimus? Væ! misero regrotanti caligant oculi, vertiginem patiuntur, tinnunt aures, susurrant, sibilant importunè. Rigida spasmo lingua, animæque imperio regi jam indocilis, hæret, blæsa fit, balbutit, instar Paralyticorum. Quoties nimia siccitate exhaustis faucibus, convulsisque tum Pharyngis, tum maxillæ utriusque musculis, ademptam sibi aut saltem interceptam man-

3

dendi glutindique facultatem æger suspiravit ! Quoties, aut sæviente ultra modum, humanamque patientiam, Odontalgia, tantum in rabiem non actus, aut eo dolore, quem à suâ immutabilitate Clavum vocant, cerebri membranas lancinante atque dilaniante, vitam desperans æger, tot malorum terminum, mortem exoptavit. At nec extremas externalque corporis partes sua non manent infortunia ; quas & dolores vagi pererrant, & Spasmus convellit, & hebetat cum fornicationis quodam sensu stupor, & nocturnus humectat inquietatque sudor, & tumor inflat, manè quàm vesperi protuberantior, & hydropico, si impressi digiti vestigium retineret, omnino similis. Tot variis, formidolosum æque ac formidabilem, symptomatis affectum, aut venturum indicat, aut præsentem comitatur, urinis, copiosis, aqueis & crudis, non ignorabilis, & temporarius Diabetes, signum morbi Pathognomonicum. Fœlices tamen in suâ infœlicitate hypochondriacos, si tot corporis doloribus, mentis ægritudo, malorum cumulus, non accederet. At quantum corpori, tantum animæ, virium diceres detrahi. Miseram igitur, fractamque morbo mentem tyrannicè opprimunt, quotquot ferè singulos homines, partim Tyrannide, perturbant affectus. Hinc incertus animi, modi nescius, solæque constans in levitate quilibet hypochondriacus, ab amore ad odium, ab audaciâ ad formidinem, à fiducia ad suspicionem, à sanitatis opinione ad morbi cuiusvis imaginariam possessionem, ab immodicâ lætitiâ ad extremam mœsticiam, & vicissim, aut furili, aut nullâ de causâ, dicto citius, solet transire. Denique, proh humanitatis calamitatem & dedecus ! Quem virum de rebus seriis graviter & ornatè dicentem audiisti, quem vidisti modò amplissima negotia cum dignitate sustinentem, quem intuitus es per media ruentem animosè pericula, hunc, si eum afflaverit teter pessimi morbi halitus, miraberis tuta omnia muliebriter timentem, pueriliter ejulantem non sine stupore audies, inconditaque vociferantem, aut insulsè etiam ridentem, aliquando miserabere. Hæc malâ, magnam partem *spasmodica*, facit sanguis spissior & lentior, indeque pendens anormis & exlex, spirituum animalium, in nervos influxus.

I I.

MORBI hypochondriaci causam, cum veteribus, Liënem esse, ne existimes. Immeritum Viscus, necdum satis cogniti usûs, culpare iniquâ. Malè etiam, à veteribus excogitatam, absurdamque, (ignoscant priscorum Medicinæ Heroum manes) nescio quam viscerum Antipraxiam, Hypochondriacæ affectionis causam assignaturus, à debitæ oblivionis tenebris revocare fatageres. Non rectius mali hujus reum hepar feceris. Viscus illud, si in hypochondriacis dolet, dolet *sympathicè*, ut plurimum. Nec æquius, cum, Oribasii sectatore, Higmoro, affectus hypochondriaci causam in ventriculo semper esse querendam asserueris. Fomitè quidem malo præbet stomachus, illius sedes & victima, sæpè non causa. Quot enim valente stomacho, cibosque & appetente & probè digerente, hypochondriacis interim morbis divexantur. In reliqui corporis ærumnarum partem si venit stomachus, istud infortunii non aliunde, quam à vitiato succo gastrico, repetendum est. Succus verò gastrici vitium, undenam, nisi à depravato, ejusdem succi promptuario,

A ij

4

sanguine , deduxeris ? Tardè quòd digerat alimenta hypochondriaci hominis ventriculus , facit , dubio procul , visceris fibrarum laxior tonus , digestionisque opificum , salivæ ac liquoris gastrici , vis hebetior , à spissiore pigroque sanguine oriunda. Liber enim purusque stomachi vasa permeet sanguis , fluidus idem , succoque laudabili dives ad glandulas appellat , suus fibris elater stabit , sua , digestionem promoventibus succis , aderit *energia* , sua , redibit ventriculo , naturalis digerendi facultas. Nec rancidum quid & nidorosum olebit in posterum , eructans æger , nec amara salsaque evomet , nec miseri continuo madebit os sputo , nec Borborygmis turbata obmurmurabunt intestina , nec flatibus , ad dolorem , intumescunt. Tot symptomata læsam alimentorum coctionem aut comitantia , aut sequentia , quid esset causæ cur lentiori tardiorque sanguini non imputarentur , cum , acribus , calidis , attenuantibusque sanguinem medicaminibus , non rarò cedant ? Modo non dispare , Pectoris Capitisque functionibus , dira lues incommodat. Quid enim arguunt , cum constrictionis angustięque sensu , spirandi ingens difficultas , mentitumque Asthma , nisi gementia sub nimio spissioris sanguinis pondere , respirationis organa ? Quid indicat , qui Mediastinum scapulasque mordet , acerrimus dolor , nisi distenta , turgente pigroque sanguine , minima harum partium vasa ? Nec aliud suadent cordis Tremor , Palpitatio , Oppressio , veræque æmula Syncope Lipothymia , quàm oppletum & propè suffocatum hærente spissoque sanguine , ac proinde , statis temporum intervallis , dilatari liberè constringique , impotentem , cordis muscolum. Similis sunt prosapiæ , oculorum caligo & vertigo , aurium tinnitus , susurri , sibila. Quæ in languentibus & diuturno morbo fractis atque emaciatis , aquosiori quidem dilutiorique sanguini rectè tribuuntur , in hypochondriacis verò qui , cætera , aliquando valent , nonnunquam & obesi sunt , soli , sanguinis redundantis corpulentiorisque , lentiori ac pigritiæ accepta debent referri. Nec ab eadem radice non pullulant hæsitantis , blæfæ , balbutientisque linguæ spasmus , convulsorum , maxillæ utriusque & Pharyngis , musculorum ad mandendum glutendumque impotentia , & quæcunque convulsiva sunt hujus morbi accidentia , hystericis æque mulieribus , ac hominibus hypochondriacis , familiaria. Utrobique scilicet , sexum dempseris , par morbus est ; Utroque in sexu , ad convulsionis negotium non dispar conferunt symbolum lutulentus & iners sanguis , nativæque suæ puritatis & normæ obliti spiritus animales. Qui ad mentis rationisque nutum non jam reguntur , sed ad morbi arbitrium turbantur , modòque torpent elangues , modò exleges effrænique huc & illuc prorumpunt. Hinc in hypochondriacis mira veloxque unius animi motus cum altero commutatio. Hinc subitus æquè , dictoque citior , convulsivorum præsertim symptomatum , accessus recessusque. Hinc non expertes spasmi Ritus pariter ac Fletus. Ex eo tandem fonte scaturiunt quæcunque externas extremasque corporis partes , facto quasi diluvio , inundant symptomata , nocturni sudores , aquam sub cutem effusam imitatus tumor , gradientes formicas stupor æmulans , convulsivi musculorum motus , cadaverum frigori frigus non absimile , exilissimi pulsus ultima debilitas , totius corporis languor. His omnibus , vix circumagi sanguinem , quibusdamque in partibus omnino hære , spiritus vero animales nunc languere contra naturam , nunc insolito motu cieri , hosque , idcirco , regimine , illum calcare indigere , palam est.

EQUITATIONIS ab ingenuis hominibus, Magnatibus, Principibus Regibusque nunquam non exultat, & in deliciis habitat, nobilitatem prædicent alii. Manifesta illius, tum belli tum pacis tempore, commoda, ut par est, extollant. Nos, medicam hujus exercitationis utilitatem, & in attenuando spissiore sanguine, instaurandæque alimentorum digestionis efficaciam, præsertim laudamus. Equitatio, ut roborando juvenili corpori, sic languenti refarciendo, sanandæque hypochondriacæ inprimis ægritudini, apprimè utilis est. Quo jucundissimo remedio sanitatem amissam recipere si cui cordi est, is equum sibi comparet pedibus valentem firmumque, patientem fræni, oris non durum, nec ungue nec dente formidandum; non morosum, sed facilem; non suspiciosum timidumve, sed animosum; non indomitum, sed mittem, strenuum tamen, & ad ea quæ sessor postulaverit audenda & facienda habilem ac promptum. Malè siquidem convenirent difficilis hypochondriacus, equusque morosior; suspicacem herum terreret, suspiciosi, umbræque timidi animalis inquietudo; ab incipiendâ demum aut continuandâ equitatione, ungue vel dente metuendi equi pessima indoles, meticulosum equitem detereret. Equi non unus incessus: immo quadruplex numeratur, & pro variâ pedum alternatione & motione, modò Gradarius, Tolutarius modò, Succussator aliàs, aliàs Cursor equus nuncupatur. Inter ambulandum, unius lateris anteriorem alteriusque posteriorem pedem, & vicissim, sed diversis temporibus, alternatimque attollit ac demittit Gradarius. Succussator ille dicitur equus, qui eosdem quos Gradarius, sed iisdem temporibus, pedes moveret. Tolutarii, terram simul deserit simulque repetit, utraque, ejusdem lateris, ungula; ita tamen, ut ultra antici vestigium, posticus pes, longè protendatur. Hinc nascitur grata illa, in totum gradientibus equis, viæque longissimæ, brevi temporis spatio, conficiendæ aptissima, crurum pedumque glomeratio. Currendi facturus initium Cursor equus, vires primò recolligit suas, coxisque innixus validissimè, & elatâ simul, curvatâ utriusque anterioris tibiæ, calce utrâque, non tam graditur, quam salit antrorsum; posteriore utroque pede eundem motum sic imitatur celeriter, ut necdum ad terram reductis primis pedibus, libratum pennæ alitem diceret, terram postremi pedes relinquunt. Sunt & aliæ ignobiles duæ incessus species, mixtæ quidem & à prioribus degeneres, senioque aut labore confectorum equorum propriæ. Harum altera, inordinato, celeri tamen, pedum jactatu Tolutarii equi gressum male refert effæctisque & longâ fractis succussaturâ ac gestatione jumentis, usitata, gallicè *Entre-pas*, vel *Traquenard* dicitur. Alteram, enervium Veredorum propriam, incessus speciem, quâ scilicet anterioribus pedibus Cursorem equum, posterioribus aut Succussorem, aut Tolutarium indecorè imitatur caballus, Galli *l'Aubin* vocant. Stratum in equum non prius insiliat Hypochondriacus, quàm ipsi de apparatu & ornatu equi constiterit. Prudentiæ siquidem est attentè inspicere an bene cum equi ore frænum, cum dorso ephippium conveniant. Laxiora ne sint an strictiora, quæ sellam equo alligant, cingula; Quorum prius equitis ascensui & firmitati, posterius equi respirationi motûsque libertati officeret.

A iij

6

Hæc dum examinat eques, lævo equi humero sese applicet, ne aut cervicem propiorem incautumque eum, anteriore calce, aut ventri proximum, posteriore ungulâ feriat, alicujus incommodi impatiens, caballus. His perpenſis habenæ lora duo componat, iisque & equi jubâ, prope armum, lævâ simul apprehenſis manu, dextrâ, ſiniſtro ſubmittat pedi *ſtapedem*, cui inſiſtens, eâdemque manu mox arrepto ſellæ poſteriore arcu, in ephippium ſeſe alacer immittat. In equi apparatus curioſius inſpicere, ut conſenſuri equitis prudentiæ fuit, ſic artis eſt, equo inſidentem eum, corpus ita componere, ut recto, libero tamen capite, & inter utramque equi auriculam directâ oculorum acie, *inflexa*, in iſſis cubituum articulis, brachia corpori molliter adhæreant, & dextrâ manu virgam, habenam ſiniſtrâ tenente, ad illa, naturali poſiturâ descendant, retrorſum ferantur humeri, hocque ſitu ampliâ quodammodo Thoracis arcâ, retrorſum etiam *inflexâ* parùm ſpinâ dorſi, & rotato introrſum, ephippiique limbum utrumque arcu ſtringente utroque femore, ita pendeant ejusdem poſitionis participes tibiæ, ut altero pedis extremo paulo demiffior talus, equi etiam ventri propior paulo fiat. Tandem mobilibus, pro re natâ, cæteris corporis partibus, nates & coxas, quidlibet ſaltando calcitrando-ve moliatur equus, ſellæ fundo immobiles hætere & quaſi conglutinari, experientiæ, equeſtrisque peritiæ & firmitudinis apex eſt. Horum omnium gnarus, & diligens, quantum fieri poterit, obſervator Hypochondriacus, ſi non equo, at ſaltem Equitationi, ſpei plenus, curandum ſe committat. Quis enim ab innumeris hujus exercitationis motibus & ſuccuſſibus, ſalutarem corporis alterationem medelamque non ſperaverit? Nunc ſcilicet recta gradiendum currendum-ve eſt, nunc dextrorſum ſelectendus equus, nunc vertendus ſiniſtrorſum, nunc retrorſum agendus. Modo, in aſcendendo clivo, reddenda, ut aiunt, manus eſt, laxatiſque habenæ loris, equus ſibi quadantenſ permiſſendus, qui mox in deſcendendo, retractis iſſdem, erit ſuſtinendus. Eſt ubi crurum, quæ aliàs immobilia eſſe decet, adjumento, devium monere equum, lentè gradientem, poppyſmate, in curſum, ſaltumque etiam, ſi res ita poſtulaverit, hortari; inquietum, duriorè voce increpare, ſedare; animoſum, poſt peractam longam equitationem, permiſſâ quiete, mollibusque alapis recreare, demulcere, ad majora incendere, micturientem demùm ſibilo etiam fovere con-venit. Quid, ſi equiti, cum eo equo, res fuerit, quem aliunde mitem bonique moris, paulo tamen hilariorem fecerit diuturnior quies, longiorque in equili mora? Quantus tunc ſeſſoris humeris, lumbis, coxis, totique corpori movetur labor? Quâ patientiâ laſcipientis equi hilaritati indulgendum erit? Quâ prudentiâ ejusdem ardor inhibendus? Quâ femorum firmitate, ſpinæque interim lenitiâ, capræ in modum, ſaltantis huc & illuc equi motibus erit obſecundandum? Verbo dicam, Equitationis exercitio ac beneficio ſpiſſior ſanguis attenuatur, emendatur lymphæ nimius lentor, torpentes ſpiritus animales exſuſcitantur, ſedantur eſſræni, functiões inſtaurantur; quodque curationis cardo eſt & complementum, diſtractæ averſæque à triftibus, quibus deſixa hærebat, cogitationibus, & ad utiliora converſæ menti priſtina redit ſua æquabilitas, deſuetaque tandiu, hilaritas redditur.

QUO vehatur equo Hypochondriacus, ad morbi sanationem non parùm refert. Currentis equi incessus celerior, præterquàm quòd casui magis est opportunus, pulmonibus etiam & agræ jam respirationi officeret. Succutientis equi laboriosior gradus & durior, quantùm informandis equis junioribus, quantùm ad fingendum reddendumque sellæ tenacem, equestris artis tyronem, quantùm ad ejusdem tibiae decenter collocandas continendasque, ubi præsertim sine *stapedum* fulcimine diutius equitat, utilis est, tantùm, corpus universum molestè quassando, excitandis augendisque agrotantis doloribus esset accomoda. Nec equitanti agro non erit molestus Tolutarii etiam equi incessus, nisi demisso flexilique admodùm coxendice, humilius gradiatur Tolutarius. Qui enim, elatà nimium, nimiumque rigidà incedit coxà, Tolutarius equus, equitem vix minùs lassat vexatque, quàm Succussator. His omnibus incessibus, Gradarii equi gressum, non asininum tamen, non testudineum, à quo plus lassitudinis, quàm medellæ, sperandum agro esset, sed magnum elatumque anteponimus. Ad hypochondriaci quidem morbi causam extirpandam, non omittis salutaribus, venæ sectionis, Purgantiumque & Emeticorum etiam, sed parca manu, nec sine delectu & prudentiâ exhibendorum, auxiliis, præscribi solent, quæ sanguinem attenuant funduntque, Medicamina. In usum adhibetur Chalybs &, à Chalybe, Chemicorum solerti labore, variè præparato, desumptorum remediorum, familia numerosissima. Eundem in finem præscribuntur utiliter Aquæ ex ferro minerales, Cortex Peruvianus, multiplicis in medicinâ usûs. Nec pluribus levamini non fuit Opium, Pharmaciæ arte & industriâ depuratum, correctum; sed quò simplicius sui que similis, eò semper utilius. His præmittuntur aliquando, nonnunquàm interponuntur, temperantium, incidentium, sedantiumque medicamentorum, lenimina, stimuli, solatia. Utinàm nunquam incassum! Quot scilicet ægri, devoratis multiplicum multiformiumque medicaminum faragine ac tædio, negatam sibi, licet per tot quæsitam fastidia, ingemuere sanitatem? Nec enim aut Hydræ huic debellandæ Chemicorum Mars semper sufficit, aut aliquoties Medici spem non fallit cortex peruvianus, aut purgantibus medicamentis quibuscumque non exasperatur potius morbus, quàm sedatur, aut aquis mineralibus aliisque diluentibus non aliquando relaxatur nimis viscerum, ventriculique præsertim tonus. Venæ sectio, & quæ temperant tantummodo medicamina, sæpè frustra sunt. Ipsi Opium celer, prodigioque par efficacia, magis, ut plurimum, fugando morbi paroxysmo, quàm causæ radicem extirpandæ opitulatur. Absit tamen ab iis omnibus idcirco abstinendum esse censeamus, quæ ut succedere non rarò, sic Equitationi & possunt, & debent præmitti. Quam nimirum curationem non præstiterunt, aut incæperunt tantùm, auxiliatrices Artis Medicæ manus, supra memorata medicamina, eam absolvèt Equitatio. Quid quæritur etenim? Spissior sanguis attenuandus? Id efficiet Equitatio. Variis glandulis obstructionem aut inferentis aut minantis Lymphæ, minuendus lentor? Id operabitur Equitatio. Spirituum motus anormis, ad naturæ leges ordinandus? Ferocientibus Spiritibus fræna, torpentibus stimulos, addet Equitatio. Non alio remedio secretionibus excretionibusque instaurandis, tutius allaboraveris; Non alio auxilio, debilem la-

borantemque stomachum, efficacius juveris; Non aliâ ope Chylum elaborationem confeceris; Non alio molimine, nutritiâ lymphâ gravidum, eundem humorem, ad cordis anthliam, pulmonisque officinam potentiùs promoveris, truferis; Non alio aperiente medicamine, bilem ad intestina mollius derivaveris, fœces alvi ad naturalem exitum invitaveris, sollicitaveris, urinæ fontes abundantius referaveris, laxatis cutis spiraculis, noxios humores citius utiliusque diffaveris. Quæ enim tanta excogitari potest succorum depravatio, cui emendandæ, stagnatio liquorum, cui dissipandæ, glandularum obstructio, cui destruendæ, digerezium, secernentium, excernentiumve organorum naturalis impotentia, cui discutiendæ & medicandæ pares non sint, singulis diebus, uno tenore & sub dio ingeminatæ, tot succussuum Myriades. Huc accedit, quod minimo labore nulloque virium dispendio, concussâ totâ corporis machinâ, firmatisque & roboratis omnibus, vel minimis, minimorum vasorum, fibrillis, quidquid sanguinis, celeriore paulò factâ respiratione, in pulmonibus subactum, tritum, imminutumque fuerit, totum illud, acceleratis tum cordis tum arteriarum ictibus & pressu, ad extrema corporis, inde, si non pari, at majori quam antea celeritate reductum, æquabiliter constanterque diffundatur. Peractâ igitur Equitatione sanguis fit fluidior. Qui autem ab eo secernuntur spiritus animales, non possunt, redintegratæ sanguinis texturæ, non fieri participes. Interea, materiæ perspirabilis effluvium liberiore cursu ad poros ferri, patentioribusque cutis spiraculis efflari, quis non intelligit? Pendendum ab Equitatione tot bonorum in partem venit Aer. Qui quidem purior, identidemque renovatus, quoties equitanti allabitur, toties corporis villos stimulat, novas in contractiones sollicitat, suoque in pulmones illapsu, sanguinem aut subit, aut certè in vasorum pulmonalium parietes impingens, eorum fibris vigorem, sanguini postmodum, ab iisdem, reddendum, importat. Equitationis demum utilitatibus coronidem imponit delinitæ amœnâ ruris varietate mentis, ejusdemque à mœstitiâ distractæ, & circum alia necessariò occupatæ, ad tranquillitatem lætitiæque revocatio. Dum enim regendo equo, corporique in convenienti positurâ continendo, prospicere cogitur equitans Hypochondriacus, & alias rivi campos fœcundantis limpiditate & murmure oblectatur, stupensque ad luxuriantis terræ fertilitatem, hîc duri agricolæ laborem pariter ac mercedem, spissas segetes, ibi gravidas uvis vites, industriad vinitoris, Autumnique spem circumspicit, lustratque oculis quicquid ambulantium offerunt oblectationi varia telluris modò in colles assurgentis, modò in planitiem subsidentis fœcunditas & multijuges divitiæ, abeunt paulatim in auras curæ, sollicitudo, mœror, morbi cujuslibet, vel vera, vel imaginaria, possessio; iisque omnibus dicto vale gratissimo, quantum, eundo, decedit morbo virium, tantum, corpori sanitatis, equitando, accedit.

V.

EQUITATIONEM igitur, hypochondriaco malo laborantibus, perutilem censemus, & asserimus. In eâ tamen, ut & in optimis quibuslibet rebus, modus sit, necessum est. Nec enim, dolentem jam, Hypochondriacum Succussatoris caballi tormento cruciandum judicamus; aut eundem, in ipso morbi paroxysmo, difficulter, ut saepe fit, spirantem, laxatis habenis & rapidè

pîde currentis equi, violentissimis, hypochondriacoque asthma longè pejori-
 bus, insultibus, tradimus suffocandum. Insaniret prorsus, carnificinamque fa-
 ceret, non medicinam, si quis, hunc in modum sæviente morbo, sævum
 adeò exercitationis genus probaret, suaderetve. Remedii cujusvis, efficaciam
 magna pars, in dandi opportunitate, posita est. Quis imminente aut præsentè,
 malignæ febris individuo, ut plurimum, comite, delirio, vigiliarum pertinaci-
 tatem opio infringere tentaverit? Quis, fidum adeo intermittentium febrium
 domitorem, corticem peruvianum, in ipsa febris, vel tertianæ, accessione,
 ægrotanti porrexerit, nisi & morbi naturæ, & adhibendæ morbo, hujus me-
 dicinæ, plane ignarus? Hæc tamen tempore exhibita & loco, mirum, quàm
 efficaciter operabuntur. Idem de Equitationis remedio asserueris. Suâ quidem
 naturâ utilis est, hypochondriacis, quam aliis quibusdam, morbis utilior, de-
 lectu & opportunitate, fit utilissima. Gradario primùm utatur equo, pedeten-
 timque progrediatur, qui, nonnisi gradatim, sanitatis propositum finem sperare
 debet se assequuturum Hypochondriacus. Et primis quidem diebus intrâ me-
 diocris itineris limites consistat, pro tempore, remedii successu, virium aug-
 mento, deinceps protelandis. Erit scilicet ubi firmatis in dies, Equitationis
 beneficio, omnibus corporis partibus, remedii dosim augere, mutatâque in
 meliùs valetudine, equum etiam, aut saltem equi incessum, mutare, & licebit,
 & oportebit. Relicto igitur Gradario equo, Tolutarium conscendere, conva-
 lescentis ægri è re fuerit. Quò nimirum, non auctâ lassitudine, longiùs pro-
 grediatur. Hac arte, quos jam moverit, exituique præparaverit humores,
 remissior Equitatio, eos Tolutarii equi celerior incessus faciliùs expellet. Sa-
 nato tandem morbo, receptisque nervis, nihil impediet quominus, currente
 equo, aliquoties vehatur Hypochondriacus. Nec est quòd elocandis luxandisque
 artibus obnoxiam esse Equitationem clamites. Illud si quidem aut fortunæ &
 casui, aut equitantis imperitiæ, non Equitationi tribuendum. At, inquires,
 Hippocratis testimonio, nimium calefacit, exsiccat atque extenuat Equitatio.
 Sic est, sed celerior, sed violentior, sed diuturnior; quam, nedum suadea-
 mus, improbamus. Frustra objiceret Thoraci pulmonibusque infensam esse
 Equitationem, quæ pulmones roborat, non debilitat, & quam, vel ipsis
 Phthisicis tanto adjumento esse experienciâ constat, ut eam Antipthisici remedi-
 nomine insignire, præstantes, in arte medicâ, viri non dubitaverint. Non
 æquiùs, lædi Equitationis maleficio oculos, idcirco affirmares, quòd, qui equi-
 tant, quò longius progrediuntur, eò magis lacrymantur. Illud enim nec om-
 nibus, nec semper, contingit, & si quando contingat, finitâ Equitatione sta-
 tim cessat, ac proinde, naturali oculorum debilitati, crescentique, pro equi
 celeritate, adversi venti frigiditati & impetui, rectiùs, quàm, saluberrimæ
 aliàs exercitationi, imputandum est. Necquicquam etiam arguerit utilissimi
 hujus remedii osor & detractor, ab eo, renibus, maxima imminere incommoda,
 huicque suæ calumniæ firmandæ allegaverit, alios, Equitatione, urinæ ardorès
 contraxisse, sanguinem minxisse alios, hunc lapillos per urinæ vias emisisse,
 illum, ortis inde, Renum ac Vesicæ pessimis affectibus vexatum fuisse. Si
 quem fortè ad ejiciendum vesicæ, ureterum, renumve incolam & tortorem
 lapillum, sollicitavit Equitatio, est illi quòd utilissimam hanc exercita-
 tionem laudet, beneficii memor, non quòd, ingratus, criminetur. Aliundè
 verò, non Calculosis, non Nephritide aut quibuscumque aliis vesicæ morbis læ-

boranti ægro, sed hypochondriaco homini Equitationem præscribimus. Ac esto, instabis, nullis laboret æger morbis sive innatis, sive adventitiis, quibus, ab imperandâ Equitatione, deterri possit medicus; quâ tamen autoritate illud à languente & meticuloso Hypochondriaco extorquebis, ut laboriosa, & nonnunquam periculosa exercitatiōi vacare in animum sibi inducat? Quasi verò à renuentis aut annuentis ægri arbitrio, remediū cuiuslibet necessitas, utilitasve penderet. Præterea, ut docili, & rationis imperiis auscultanti ægro imperare ad medici dignitatem pertinet, sic eidem, in ipsâ affectus hypochondriaci, mentem æque ac corpus perturbantis, accessione, difficili & morosa cedere, molliaque interim fandi suadendique tempora explorare, medici prudentiæ est, & humanitatis. Suade modò, curationis dimidium habebis. Jube deinceps ægrum sperare sanitatem confidentissimè, nec te vana spes, nec ægrum infida ludet promissio. Viden quàm athletico habitu gaudeant, quàm femorum lumborumque firmitudine incedant, quàm latis polleant humeris, quàm carnosio niteant corpore, quo vigeant stomacho, quàm probe, ingesta alimenta digerant & egerant, quàm illibatâ demum ii fruuntur valetudine, quos, ad varias cœli mutationes, variumque vitæ genus, induravit, suscepta, teneris ab unguibus, Equitatio? Cum igitur tot bona accersat foveatque Equitatio, cum eandem hypochondriaci morbi, sanandis symptomatis, causæ abolendæ, præcavendoque reditui, allatis supra argumentis, aptissimam esse probaverimus, huicque asserendæ veritati optimorum medicorum vox unanims, & quolibet ratiocinio certior, quotidiana experientia suffragentur, merito concludimus.

Ergo Hypochondriaci morbi remedium, Equitatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. David Vasse.

*M. Philippus Davier de Bre-
ville, Dotariorum Hispaniarum
Reginæ Medicus perpetuo
Ordinarius.*

M. Jacobus-Antonius Millet;

M. Andreas-Josephus Seron.

*M. Petrus Maloet, Consiliarius
& Medicus Regis ordinarius,
necnon Domus Regiæ Invali-
dorum Ducum & Militum;
Academiæ Scientiarum Regiæ
Socius.*

M. Michael Peager;

M. Thomas-Renatus Gafnier.

M. Guillelmus de Magny,

M. Nicolaus le Tellier.

Proponebat Parisiis, JOANNES-JACOBUS BELLETESTE;
Parisiinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1737.
à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1737.